

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 2037

**Auteur(s) :** Gautier de Coutances, Rouen (archevêque)

**Bénéficiaire(s) :** Rouen (chapitre cathédral)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1207, 11 novembre

**Lieu d'émission :** Rouen

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Peu de jours avant sa mort, Gautier de Coutances, voulant s'acquitter envers son chapitre du trésor de l'église de Rouen, qui lui avait été livré pour trois cents marcs, afin d'être employé aux besoins du royaume d'Angleterre, pendant qu'il en était l'administrateur, donne au susdit chapitre de Rouen ses livres, son or et ses bijoux précieux ; il lui donne aussi ses vases d'argent pour d'iceux faire des croix, des livres d'évangiles et d'autres ornements destinés au service et à la décoration du maîtreautel de sa cathédrale ; il ajoute en outre toute sa chapelle formée en partie aux dépens du trésor. Tous ces objets n'ayant pu l'acquitter entièrement, les chanoines s'en tiennent satisfaits et le déclarent libéré envers eux.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissé, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CXVI, p. 155-157.

Texte établi d'après a

Omnibus Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit, Walterus, Dei gratia, Rothomagensis archiepiscopus, salutem in Domino.

Ad universitatis vestre noticiam volumus pervenire quod cum in Anglicanis partibus vices regias ageremus, thesaurus ecclesie nostre nunciis nostris, de mandato nostro, traditus fuit et pro trecentis marcis distractus. Que quidem pecunia militibus ac servientibus bone memorie Ricardi regis stipendariis fuit distributa. Quia vero hee trecente marce nobis ad Londoniense scacarium fuerunt persolute ac in usus nostros converse, nos ad restaurationem prescripti thesauri usque nunc fuimus obligati. Nos igitur, anime nostre saluti pariter et ecclesie nostre indemnitati providere cupientes, in recompensationem illius thesauri dedimus prefate ecclesie nostre omnes libros nostros et omnem aurum nostrum in quacumque forma sit et lapides nostros preciosos, sive alicui materie conjunctos sive separatos. Preterea vasa nostra argentea, ut ex hiis fiant cruces, textus et alia ornamenta ad majus altare ecclesie pretaxate. Insuper universa ornamenta et libros et aliam superlectilem capelle nostre, que fere omnia de thesauro ecclesie nostre sumpseramus, ipsius servitio deputamus. Licet autem supradicta non sufficerent ad plenam dudum thesauri compensationem, dilecti tamen canonici nostri, devotione qua erga nos semper habuere promoti, ejus quod supererat nobis liberationem plenissimam concesserunt. Ea vero que de prescriptis penes nos remanserunt, nichilominus in ipsius ecclesie permanent dominio, ut quocumque tempore et apud quemcumque inventa fuerint, capitulum nostrum libere possit eadem vindicare.

Ne ergo hoc de cetero revocetur in dubium, in ejusdem rei testimonium presentes litteras sigillo nostro signatas ipsis duximus conferendas.

Datum Rothomagi, per manum magistri Johannis Britonis, clerici nostri, anno incarnationis Dominice M° CC° septimo, iij° idus novembris.